

12/12

I. N. I.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

COLICA,

QUAM

SUB PRÆSIDIO

SACRO-SANCTÆ TRINITATIS,

AUTHORITATE ET DECRETO

AMPLISSIMI ATQ; GRATIOSISSIMI

MEDICORUM ORDINIS,

IN

INCLUTA NORICORUM UNIVERSITATE

ALTDORFFINA,

PRO

LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

AC PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME IMPETRANDI,

PUBLICO PLACIDOQ; ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

JOHANNES ERICUS *Oldenborch*

HAMBURGENSIS.

AD DIEM 14. JUNII, A. C. 1675.

ALTDORFFI,

Literis HENRICI MEYERI, Univers. Typogr.



W.A.

DISPATCHED TO THE

MANAGER

AT

COLLIER

W.A.

THE

RECORDS

OF THE

COMPANY

AND

GENERAL

OFFICE

NEW YORK

1880

NO. 1

ST. NICHOLAS

STREET

NEW YORK

1880

NO. 1

ST. NICHOLAS

STREET



Q. D. B. V.

PRÆLOQUIUM.

IX animalium perfectiorum ordine nullum humano genere morbis magis atq̄ frequentius obnoxium esse, neminem tam in hominum quam brutorum naturam sedulum inquirentem latere posse arbitror. Rarò equidem bruta agrotare experientia testatur; econtrà quot non morbos humanum genus quotidie torquere oculis nostris cernimus? à quibus tamen natura immunitatem brutis concessit. Deinceps quot non morborum quoque nova species ignota seculis homines invaserunt, imò ad hunc usq̄ diem affligunt, quorum apud priscos Medicina Scriptores nulla fit mentio? Certè Luem &ream binis antè seculis per infectionem militum navigantium ab Incolis Americanis ad nos translata, hinc per totam penè Europam propaga-

A 2

tam,

tam, nemo est qui ignorat, cujus tamen Luis altum apud Veteres fuit silentium; (Nam utut Francisc. Wallef. 1. epid. comm. 1. & Hieron. Reufner. ex Hippocr. lib. 3. epid. sect. 3. textum allegent, quô varia huic Lui haut inconuenientia ipsum recensere symptomata perhibent, at tamen tantum abest, ut Hippocrati ibi locorum mens de Lue & reâ sit, ut potius pestem gravissimam, longèq; ab hac diversam describat, Galeni ac plurium interpretum judiciô, ipsâq; historiæ evidentiâ testante.) Eiusdem commatis statuimus etiam Luem Epidemicam hæctenus inauditam Lugduni Batavorum, vicinisq; locis Anno 1669. dirè grassantem, cujus mentionem facit in Oratione, quam Reçtoratum depositurus Celeberrimus Sylvius habuit; pariter in dissertatione Medicâ super hunc morbum habita Clariss. Fanoisius? Ne quid dicamus de Scorbuto, aliisq; &c. Plura vid. cit. apud Moellenbroc. cap. 1. d. varis. Quamvis autem omnium affectuum, hoc genus miserum miserè indies diræxantium species digitis enumerare quis vix possit, & charta deficeret occupato in recensendis illarum nominibus; illa tamen præcipuè

cipue animadvertenda sunt, quæ animum cum corpore affligunt: Eas inter cum caput extollant dolores varii, & ex hisce frequentior sit acerbus ille, ac crudelium sæpenumero symptomatum, homines tam frequenter ac importune invadentium, ipsosq; nonnunquam interficientium autor Dolor Colicus: Quapropter hunc in Disputatione hac Inaugurali pro ingenii nostri modulo pertractandum nobis selegimus. Quem ipsum antequam aggrediamur, Divini Numinis Clementiam atq; Benignitatem submisse invocamus, velit nobis in causis hujus affectus eruendis, ac medicamentis commodis inveniendis operam suam largiter largiri, quo omnia, quæ hic ad veritatis trutinam veniunt examinanda, eveniant in Nominis sui Sancti gloriam, & afflictorum salutem atq; emolumentum!

§. I.

UT autem ab ovo, quod ajunt, incipiamus, pauca quædam more consueto de hujus Affectûs *Definitione nominali*, antequam ad realem pergamus, prælibaturi sumus. Derivant communiter autores hoc colicæ vocabulum à *κόλον* Intestino, loco nimirum pri-

mario ut plurimum affecto. Quam denominationem quidam deducunt, v. g. *Barthol. in suâ recens nuper editâ Anatomia. pag. 91.* ἀπὸ τῆς κωλιζέσθαι à contorquendo, castigando, quasi maximè doloribus sit obnoxium; quidam ἀπὸ τῆς κωλύειν, prohibendo, retardando, removendo, ac si ob varias cellulas fæces longiorem traherent moram, quò videlicet omnis chylus per vasa lactea penetret.

§. 2. Accipitur vocabulum vario modo; *Latisimè, latè, strictè, & strictissimè.* Latisimè denotat quemcunq; abdominis dolorem etiam musculorum, *vid. Barthol. Cent. 4. hist. 59.* Latè significat dolores intestinorum, sive affligant sexum sequiorem, sive potiorem: Strictè notat dolorem colicum, quem hîc præ manibus habemus, ita ut dependentem ab inflammatione intestinorum connumeremus passioni Iliacæ, quæ vocis acceptio hic erit nostra: Strictissimè innuit dolorem colicum virorum, ut contradistinctum ab hysteris doloribus mulierum; quare & *Lang. in Miscellan. curiosis* asserit: *Colicam & Uteri suffocationem iisdem specificis tolli, quia ab iisdem causis provenire solet. pag. 144.* Quam ultimam vocis acceptionem arbitramur nimis plebejam, cuius tamen occasione haud rarò obstetrices à viris in consilium vocantur.

§. 3. Aliàs dicitur κωλικὴ ἐδύνη, seu νῆστος, κωλικὸν ἀλγος, κωλικὴ ἀλγος Paulo Æginet. Celsus morbum Intestini plenioris vertit. Dolor *intestinorum* audit Capivac. Merc. dolor colicus. Communiter vocatur Colica. *vid. Nosolog. Harmonic. Petrai. Tom. 2. dissert. 29.* Germanis audit *Das Krümmen oder Krümmen im Leibe/ die Mannsmutter/ &c.*

§. 4. His paucis præmissis, ad *realem Definitionem* nos accingentes dicimus: *Colica est Intestini Coli præprimis, hinc aliorum quoq; Intestinorum insignis quidam dolor, à continui solutione, nunc in ipsis Intestinis, vel à rebus distendentibus; vel*

ab humoribus acerbis rodentibus, rodendoq; convulsiones & spasmos excitantibus, nunc in vicinis partibus contingente, ac Intestina subinde in consensum trahente, dependens.

§. 5. Dolorem (quem Magnificus p. t. Inclytæ Altdorffinæ Rector VIR Nobilissimus, Amplissimus atq; Excellentissimus DN. D. BRUNO, hujus Acad. P. P. celeberrimus, Patronus atq; Promotor meus omni animi deveneratione colendus, in suis Dogmat. Medic. general. p. 269. demonstrat summo jure referri ad symptoma non actionis depravatæ; sed potius auctæ) esse adæquatum ac legitimum Genus, constat ex sensu exquisitissimo, unde & ob atrocitatem hujus doloris nonnulli necem sibi ipsis intulerunt, Galeno lib. 2. d. compos. med. Erast. m. m. pag. 39. Zacuto lib. 2. Prax. admir. obs. 78. testantibus; imò ex sententiâ Galeni lib. 6. d. loc. aff. cap. 2. ulterius liquet, quod dolor, si levior existat, colicus verè appellari haud debeat.

§. 6. Locum affectum vel partem affectam statuimus in definitione Intestinum Colon primariò, hinc quoque alia nonnunquam Intestina, utpote se mutuò excipientia, & doctrinæ causâ potius, quam naturæ diversitate ita distincta, eorumq; portiones, triplices nempe Tunicas, prout illas accuratè observando ad vivum depingi curavit Accuratissimus Willisus Tr. Pharm. rat. Quæ tunicæ, quoad partes nervosas, dolorem, sive à flatibus distendentibus, sive à rodentibus percipiunt; quoad fibrosas portiunculas, in motus convulsivos concitantur, aut spasmos contrahunt. Quoniam verò magnâ est Intestinorum cum Mesenterio, Pancreate, aliisque abdominis Visceribus communicatio tam per membranas, quàm per nervos, secundariæ partes affectæ, vel sympathicæ in Colica fiunt jam citatæ partes vicinæ. Imò cum in infantibus tenerioribus nervi adhuc tenelli longè majorem foveant sympathiam, quàm in Adultis, fit, ut partes nostræ Colicæ affectæ nonnunquam etiam in consensum rapiant longè dis-

gè disitas partes, v. g. ipsum Cor & Cerebrum, unde vera subsequitur Epilepsia, quam hoc modo pronatam communiter vocant: *Die schwere Noth im Leibe. it. Darmfreischlich.* Similem sympathiam etiam cum utero experiuntur mulieres hysteriis obnoxia passionibus: Quare etiam *Willisius cum Pisone Tr. d. An. brut. part. 2. cap. 15. d. Pass. colic.* huncce Affectum inter cerebri ac nervosi generis affectus recensere non erubescit. Id quod ipsum citius concedet cum *Cartesio* asserens: *Animam non corpus sentire; idq; quatenus est in cerebro, non qua alia membra actuat. Philosoph. cap. 4. Diopirices. pag. 67.*

§. 7. Et licet in constituendo *Subjecto Colicæ* diversam videar fovere sententiam à Veteribus nonnullis, Intestinum Colon solum determinantibus; (interim tamen sunt, qui cætera quoque Intestina pro *Subjecto* hujus affectûs agnoscunt, v. g. ex Veteribus in §. 3. citatus *Capivac. Merc. Piso, Spiegel. &c.*; ex recentioribus v. *Willis. tr. d. an. brut. cap. de Colica* & alii quoque,) neq; proinde nego in Colo tanquam primario *subjecto* frequentiores & vehementiores posse contingere passiones, præsertim si in causâ sunt flatu: Siquidem Intestinum Colon præ reliquis constat ex majoribus tunicis & fibris, majores etiam possidet valvulas, quò pacto intra has flatu facilius ac citius possunt sese intricare, diutiusq; his immorari, pariter & partes viscidæ ac acres pituitosæ. Si verò excrementa indurata, flatibusq; viam præcludentia Colicam inferunt Passionem, æquè primario id contingit in Intestino Colo, quippe in quò consistentiam stercoream nanciscuntur excrementa. Fæces verò pituitosæ magis etiam atque magis fiunt viscidæ, dum sensim sensimq; subtrahitur materia fluida, ut hinc firmiter adhæreant. Hinc etiam pro diversitate loci Intestini Coli, in quo aut fæces induratae, aut fæculentiæ viscidæ pituitosæ acres inhærent,

rent, in consensum trahuntur partes vicinæ, v. g. in latere dextro Ren dexter: in hypochondrio dextro Hepar: in sinistro Ventriculus & Lien: in utroq; Diaphragma, maxime verò in sinistro, in quo Colon curvaturam patitur sigmoideam. Hinc errant, qui in dextro hypochondrio, si talis percipitur dolor, Hepar; in sinistro verò Lienem statim accusant, morbumq; sic splenicum appellitant: Cum nec Hepar, nec Lien viscus sit tanti doloris receptioni dicatum, liqueatq; exinde ulterius, quod equitationi inasveti post pastum equitantes illicò sibi à flatibus, circa hanc coli flexuram hospitantibus, dolorem concitent satis pungentem.

§. 8. Provehimur jam ad inquisitionem *causarum*, quarum proximam, Medicorum plurium suffragiò, *Solutionem continui* in definitione meritò pronuntiavimus. *vid. Sennert. Instit. lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 3. Ubiunq; enim, inquit, adest dolor, ibi adest continui solutio: & contra; ubi continuum solvitur, ibi dolor excitatur.* Remotiores verò *duas* potissimum asseruimus *res*, Intestina videlicet distendentes, atque acres illa rodentes, hinc solutionem continui, indeq; dolorem Colicum efficientes. Inter distendentes (1.) frequentissimi sunt flatus, quippe qui quotidie observantur in hoc affectu quàm sæpissimè, ut exempla referre frustraneum, imò lippis & tonsoribus satis notum sit. Hi, quatenus quocunque modo in descensu versus anum intercipiuntur, Intestina distendunt, testantibus autorum v. g. *Fernel. lib. 6. d. morb. & sympt. cap. 10: Petræi dissert. harm. 29: Zacut. lib. 2. prax. admir. Schenk. lib. 3. d. intest. obs. 174. &c. observationibus*, quod videlicet Intestinum Colon præ flatu ita distensum fuerit, ut brachii amplitudinem æquaverit.

§. 9. De horum verò flatuum Genesi non planè constat; sed admodum intricata, multisq; difficultatum spinis implicata, tam apud Veteres quàm recentiores existit do-

Strina. Veteres equidem horum causam humoribus biliosis, melancholicis ac pituitosis, à calore vel frigore excitatis, vid. Sennert. *Inst. lib. 2. cap. 8.* (qui tamen postmodum in *Paralipomenis. cap. 4. p. m. 29.* sese aliquò modò per exempla quadam chymica correxisse vedetur) attribuerunt. Quæ autem, si modernorum applicentur principiis, quatenus scilicet per biliosum humorem, ejus salis lixivii acrimoniam; per melancholicum, acidum quoddam; per pituitosum verò, illud intestinorum viscidum intelligant, ac simul invicem juncta, vel effervescendo, vel fermentando flatuum generationi ansam præbeant, de facili erunt cum istis concilianda. Non erit autem nobis in explicanda veterum hypothese, utpote ab aliis jam explicatâ, ac, ubi opus sit, cum nostrâ conciliatâ, multum immorari; longè potius nostras de flatuum genesi cogitatiunculas huc proferre, lubentissimè quamquam & nostram hac in re fateamur imbecillitatem; nihilominus tamen in rebus obscuris ac à sensu remotis conjecturæ locus erit, annuente quoque huic Hippocrate *lib. d. flatibus sect. 2. De non apparentibus aegritudinibus planè opinio magis quàm ars judicat.*

§. 10. Conjicimus igitur flatuum materiam partim esse aërem alteratum; partim portiunculas viscidas. Quoad prius, nobis ad stipulari videtur Hipp. *lib. d. flatibus. sect. 4. n. 7.* dicendo: *Spiritus, qui corporibus insunt, vocari flatus, qui verò extra corpora existunt, aërem:* item Paracelsus, qui *tr. d. Colic.* loquitur: *Quamlibet Colicam esse ventris ventum, sive turbinem undecumq; concitatum à cibo potuve &c.* Quoad posterius, præter autoritatem Clariss. Sylvii *lib. 1. prax. cap. 14. §. 27.* ipsa testatur experientia, vix flatuum observari proventum in Intestinis, hæc nisi fuerint infarcta materiâ viscidâ. Constat siquidem Hypochondriacis, humorum visciditate maximè laborantibus, flatus esse ut plurimum familiares. Sic post
esum

esum alimentorum viscidorum, itidem producuntur flatus frequentissimi: id ipsum testatur quoq; mechanica: Sic v.g. flatus producunt ludentes pueri, dum arundine straminea hauriunt aquam, ob saponem in ipsâ solutum viscidam, eamque per ipsam efflando, insignes efformant bullas: Sic in commistura & motu humorum viscidorum observantur spumæ flatulentæ; Hinc etiam cerevisia vinô diutius spumam retinet.

§. II. Hæ duæ portiones materiales, dum concurrunt, verum constituunt flatum, tum nimirum aër in visciditate interceptus, ob virtutem suam elasticam, *de quâ vid. Boyl. tr. d. aëris vi elast.* instar lanæ carptæ sese expansivam, sui conatur extensionem, à viscido verò illo coërcetur. Aliàs namq; absente tali viscido, particulae aëreae facilè à se invicem secedunt sine omni strepitu. Prout itaq; visciditas est tenacior & volatilior, pro eo tales flatus etiam evadunt impetuosiores. Quare & *Helmont. tr. d. flatib.* hos flatus vocat *Gas Sylvestre*, describens illud per *spiritus incoërcibiles in corpus visibile*: exempli loco sunt gas in distillatione tartari exurgentia: gas flammeum ex sale nitri cum carbone misto evolans. Verum hic non mox credatur *Helmontio*, gas talia Sylvestria planè esse incoërcibilia. Nam utut, difficulter fieri resolutionem gas talium, non inficiemur; in eo tamen non statim planè est impossibilis: sic v.g. teste ipso *Helmontio*, pomum, vitro hermeticè clauso tostum, cogit præ flatu vitrum disilire: pomum verò consimile, simili vitro clausum, cum tantodem aquæ, ut ebulliat, gas nullum emittit; sed tantum halitum aquosum. Cum itaq; pomo posteriori phlegma fuerit commistum, apparet, gas illud fuisse resolutum, ob phlegma. Similem resolutionem gas pulveris pyrii monstrat *Glauberus cap. 23. § 24. des andern Theils Philosophischer Ofen.*

§. 12. *Causa* autem *efficiens* flatuum horum optimè poterit exponi per *salia acida & alkalia*. Nam dum *acida* aculcis suis sese cum impetu insinuant in porositates corporum *alkaliorum*, fit, ut aër intra poros hos hærens expellatur, qui secum abripit quasdam particulas *alkalicas* volatiles, unde diversitas gas talium erit petenda, quia autem opus habet, ut penetret per superficiem extimam corporum *acidorum & alkaliorum* commistorum, intercipitur à viscidis portionibus, quæ, cum sint minimæ, non sunt aptæ, ut aërem retinere queant compressum; hic potius suâ potitur virtute elasticâ, unde demum tantus adest impetus. Et tales flatus videntur, qui in chymicis quibusdam operationibus producuntur. Hanc autem salium actionem, aërisq; reactionem moderni Philosophi sub titulo vel fermentationis, si scilicet fit sensim sensimq; uti de musto, cerevisiâ, vel aliis rebus vegetabilibus fermentantibus satis liquet, (fermentationi namq; etiamsi fit motus vix observabilis; nihilominus tamen gas inde proveniens valet fortissima diffringere dolia;) vel effervescentiæ, quando nempe motus fit impetuosus & subitaneus, exponunt: v. g. si R_9 O tria funditur butyro I ii, tanta fit effervescentia, indeq; flatuum vehementium tanta eruptio, ut, nisi vas continens sit apertum, illud rumpatur: idem R_9 , vel alius acidus, limaturæ I tis affusus, insinuando sese in corpus metallicum, præprimis I tem, adèò ingentes dat strepitus, ac copiosissimus bullarum, hinc flatuum adèò fortium proventus, ut etiam fortissima vasa disfilire queant. Vid. ulterius hac de re *Becher. in Physic. subter. lib. 1. sect. 5. cap. 3. de solutione metallorum*. Item tartarus, si distilletur, formalem concipiet sub distillatione effervescentiam, subq; hâc flatus tam violenti assurgunt, ut vix coërceri valeant, & nisi detur rimula, vitra diffringant.

§. 13. *Acidum* verò & *Alkali* tale reperiri in Intestinis, fatis luculenter sufficienterq; demonstrant Physiologi moderni, adeò, ut nostris temporibus nemo facilè de aciditate fermenti ventriculi & alkali bilis dubitaverit. *vid. Clariss. Sylvius Diss. Med. secund. §. 21. 26: & sextam §. 39.* Qamdiu itaq; hæc duo benè sibi adæquata, & per succos ritè fluidos multiplicata existunt, blandam saltim in Intestinis intestinam concitant motionem, hinc quoque, pro usu forsan secundo, blandum saltem aërem, in tenuibus ut plurimum observabilem, illaq; pro transgrediendo chylo nimis fluxili, leviter distendentem. Quod si verò succi, quibus acidum ventriculi & alkali bilis commiscentur, aut quoad visciditatem primario; aut quoad aciditatem sint intemperati, nemo erit, qui juxta paragraphos præcedentes, facilem facilè cernere non possit flatuum horum genesin.

§. 14. *Visciditatem* autem primario præbet *Lympha*, Intestinorum cavitatem semper madefaciens, quam ipsam *Sylvius* appellat pituitam: hæc, ut ut naturaliter in tantum debeat esse viscida, sicuti omnis *lympha* in toto corpore; at tamen in Intestinis facilè præter naturaliter coagulari consuevit; Ut hinc nonnunquam *Lienteriæ*, vel si mavis, *Cœliacæ* passiones observentur. Dum itaq; in hâc *Lymphâ* viscidâ acidum fermenti ventriculi, atque alkali bilis in se invicem operantur, fit, ut modo, quem superius exposuimus, flatus suboriantur, teste *Sylvio Practico Celeberrimo atq; Felici lib. 1. prax. cap. 14.*

§. 15. *Causæ remotiores* flatuum & consequenter *Colicæ*, etiam sunt vel *internæ*; vel *externæ*: internæ sunt fermentum ventriculi viscidius, uti hoc observatur in *Hypochondriacis*: sic quoq; succus biliosus viscidior, qui talis subinde deprehenditur. Externæ autem sunt innumeræ. Nam omnia alimenta viscida, v.g. pinguia ex ovibus &c. omnis ge-

neris potulenta viscida, v. g. mustum, cerevisia non benè defæcata &c. Hæc & similia apta sunt nata ut in corpus assumpta fiant causæ externæ procatarcticæ flatuum. Nemo verò cum veteribus non paucis sibi persuadeat, alimenta, v. g. allium, cepas, raphanum, armoraceum &c. revera esse flatulenta, quippe quibus actu nulli planè insunt flatus. Digeruntur namq; a ventriculo robusto sine ructu; sed saltem ob partes suas viscidas in ventriculo digerenda flatibus ansam præbeant. Quare si sint vocanda flatulenta, vocitentur *non formaliter, sed effectivè. vid. Helm. tr. d. flatib.*

§. 16. Progredimur ad alias res, Intestina *distendendo* colicam producentes. Inter quas & reperimus *calculos*, qui, quemadmodum in plurimis corporis partibus generantur, sic quoq; in Intestinis producti fuerunt. Taliùm enim lapidum in illis genitorum formæ stupendæ exempla refert varia Schenk. lib. 3. d. *Intest. obs. 145*: *Item tres formâ triangulari, moleq; avellanæ excretos fuisse, de muliere septuagenaria Regiomontani à Celeberrimo Medico ac Professore Tinctorio anno 1659. observata, indicat Barthol. cent. 4. hist. 49.* Videatur etiam Horstius lib. 4. obs. pag. 232. &c.

§. 17. *Scybala* demum nimium *indurata* hinc inde intra Coli Intestini valvulas & cellulas, imprimis juxta hujus curvaturas hærentia, *distendendo* Intestina, Colicam quoque subinde inferre passionem, præter autorum observationes, v. g. Hild. cent. 1. obs. 54. & 58: & Plater. Prax. tom. 2. p. m. 522. &c. notissimum est, unde hic calamum compesco.

§. 18. Expositas causas Colicam inferentes *distendendo* Intestina, excipiunt *causæ Intestina rodendo, & convulsiones excitando, ledentes.* Hic maximè sunt potentes *succi* in Intestinis contenti *acres* atq; *austeri*: Quatenus videlicet succi tales acres, pungendo portiones Intestinorum nervosas, irritant ad contractionem, quò factò, similiter fibræ Intestino-

rum

rum contrahuntur, nunc in motus convulsivos, nunc in veros spasmos, unde ingens Intestinis advenit dolor. Ex succis talibus acribus primariò est *pituita* hærens in Intestinorum cavitate, sive sola sit, post factam digestionem; sive ipsi adhuc succus chylosus, cum partibus excrementitiis sit commistus. Namuti omnes succos, exceptis fermentis, oportet esse temperatos; ita etiam hanc pituitam vel lympham. Quicquid itaq; hanc pituitam reddit acrem, illud evadit causam hujus doloris. Primariò autem hic multa potest fermentum ventriculi nimium acidum, pariter & succus biliosus nimis salinus acris. Unde etiam prælaudatus *Clariss. Sylvius in modo cit. lib. & cap.* asserit: *Acrimoniâ hæc salinâ peccantem bilem cum acidis liquoribus effervescono, dolorem algentem, frigoreq; gravi molestum causare; sicuti ætium \ominus li, \ominus li volatilè cuiusvis, non tamen oleoso, affusum excitare effervescentiam, cum notabilè algore atq; frigore copulatam observamus.* Imò ob hujus acrimoniam, quatenus scilicet sui ipsius vellicet receptaculum, ut fibræ hujus magis inde sese contrahant, hinc bilem ad Intestina copiosius exprimant, fieri Colici dolores, disserit *in Exerc. Physiol. 4. §. 12. Nobiliss. atq; Excellentissimus DN. D. Bohri/Chirurg. ac Anat. Prof. Inclut. Acad. Lipsiensis Celeberrimus, Patronus atq; Præceptor meus, jugi honoris atq; amoris cultu in æternum observandus.* Horum itaq; succorum, aut alteruter, aut uterq; à statu naturali declinans, aptus est natus, ut extra statum alimentorum assumptorum, pituitam Intestinalem nimium producat acrem. Ipso verò tempore alimentorum, & hæc vitiosè digerunt, ut qualitatem acrem portionibus Intestinorum nimiam contrahant, unde tales demum inferuntur dolores.

§. 19. Necq; hic planè sicco prætereundus est *pette succus pancreaticus*, qui, ut aliarum glandularum lymphæ, æquè subinde præternaturalem contrahit aciditatem, vel austeritatem

tatem quoq; , hinc postmodum pituitæ Intestinali, ac Chylo-
 sis etiam portionibus excrementitiisq; commistus, rodit tan-
 dem Intestina, illisq; sic dolorem infert satis ingentem.

§. 20. Necq; credendum est, flatus semper Intestina
 distendendo saltem, tantos producere cruciatus: Verum et-
 iam præterea æquè ac humores possunt existere acres. Si-
 quidem acidum ventriculi, & succus biliosus intemperati in
 se invicem agunt, (Acida namq; à lixivialibus avidè abfor-
 beri, liquet ex affusione Ω , Θ li, Θ i tartari, &c. apud quo-
 rum mutuuum congressum, flatus incoërcibiles, sive spiritus
 sylvestres excitantur,) quibus materia viscida cum sit com-
 mista, fieri aliter nequit, quam ut hi flatus, (sunt enim nihil
 aliud, nisi aër in tali materia viscida interceptus,) æquè fiant
 acres, doloremq; Intestinis, partim distendendo, partim ro-
 dendo pariant: Uti tale gas acre spirat tartarus destillandus,
 & spiritus salis armoniac. &c. Et hi ipsi flatus, ratione acrimo-
 niæ existunt causæ passionum colicarum frequentissimæ; in
 specie verò, qui constant ex partibus acris, non ita tenaci-
 ter viscidis, sed saltem in tantum. Illi, quibus nempe ingens
 visciditas est admixta, existunt fermè in odori ac insulsi, qua-
 tenus hæ partes viscidæ planè non sunt solutæ; quare etiam
 cum crepitu & strepitu demum prorumpunt. Hi verò, qui
 pauca gaudent visciditate, maximè sunt fetidi, quatenus vi-
 delicet partes viscidæ citius solvuntur, & nares feriendo tan-
 gunt: Unde & leni saltem sibilo pariuntur. Ad quales fla-
 tus producendos, apta est bilis nimium oleosa volatilis, &
 fermentum ventriculi nimium acidum, vel succus etiam
 pancreaticus acescens: Hinc flatus ita producti dolorem
 causant ardentem, uti, teste *Clar. Sylvio*, Ω , Θ li cum oleo te-
 rebinth. effervescentes flatus tales acres atq; calidos producit.

§. 21. Deinceps maximè quoq; videntur potentes in
 rodendis Intestinis, *faeces*, & *portiones crassa pituitosa*, Intesti-
 norum

rum rugis ac plicis inhærentes. Nam excrementa æquè omninò sunt temperanda ab acido & alkali, uti succi laudabiles juxta leges Physiologicas. Hinc, quotiescunq; evenit, ut succus pituitosus intestinorum & chylus præternaturaliter sint constituti acres, toties talia etiam fiunt excrementa.

§. 22. Superfunt adhuc quædam, dolorem quoq; colicum inducentia rodendo, videlicet *vermes* atq; *lapides*. Vermes hoc effecisse refert *Fabr. Hild. cent. 1. obs. 57*: Lapidès verò hoc præstare posse, præter antea in §. 16. Observationes citatas, dicitur ratio: Cum enim aculeis nimis sint referti subinde, necesse est, ut hisce aculeis Intestinorum sensiles admodum tunicas quoq; rodant, atq; dolorem ipsis concilient.

§. 23. Inter causas remotiores internas & externas, Colicam talem à rosione Intestinorum dependentem, producentes, sunt ex præternaturalibus *intemperies* humorum *acris*, unde frequens est dolor Colicus ab acrimoniâ humorum Scorbuticis, & quocunq; modo fermento ventriculi vitioso laborantibus. Ex rebus nonnaturalibus multa hinc potest aër nimum acidus hyemalis, qui, corpore non benè vestito, per poros penetrat in abdomen non ita pingue; partim etiam per respirationem, alterando salivam aciditate præternaturali, inficit fermentum ventriculi. Ex alimentis, omnis generis alimenta nimum acida, v. g. omnis generis fructus horæi nondum maturi, imprimis verò horum pelli- culæ, sive siliquæ, uti v. g. uvarum, ceraforum, pisorum, &c. quippe quas ventriculus rarò dissolvit, potius acscentes in- regras dimittit in Intestinorum cavitatem: Omnis gene- ris potulenta acidula v. g. vinum acidum aut stypticum, cerevisia inveterata acsces &c. Ex medicamentis obsunt omnis generis purgantia nimum acria, quemadmodum de assumpto Scammonio tradit observationē *Schenk. lib. 3. obs. 190*: *item Forest. lib. 21. observ. 13*: *item de specieb. diagalapp. Colicam*
C letha-

lethalem inferentibus apud Barthol. cent. 5. hist. 23. videri potest. Et hæ sunt causæ Colicæ idiosympathetica. Non rarò etiam accidit Colica sympathetica, quam Colicam convulsivam, vocat Willis. tr. d. an. brut. accidentalem, quatenus nimirum nervi Intestinorum in consensum rapiuntur ab aliis nervis, in vicinas partes transplantatis. Sic v. g. Colica sympathetica excitatur à calculo renum: à difficili mensium profluvio: à partu difficili: ab hæmorrhoidibus instantibus &c. Quam Colicæ speciem, quia non cessat, nisi curato morbo, per quem sympatheticè producitur, brevitatis ergò hic omitimus. Sufficiant hæc de causis.

§. 24. Properamus jam ad *divisionem*, quæ est, aut à *parte affecta*; aut à *causa efficiente* petenda. A parte affecta, *Colicus dolor* potest dividi diversimodè (1.) in *Lumbarem*, qui scilicet percipitur juxta spinam dorsi, partim in duodeno Intestino, ac initio Jejuni; partim etiam in fine Coli; quo flexuram efficit sigmoideam, ac principio Recti: (2.) *Umbilicalem*, qui sentitur in medio abdominis, nempe in Jejuno ac subsequente Ileo: (3.) *Hypochondriacam*, qui sub utroq; hypochondrio perceptus, residet in Intestino Colo, sub hepate & ventriculo protenso, (4.) *Vagum*, ubi nimirum omnes Intestinorum portiones indifferenter torquentur.

§. 25. Respectu *causæ efficientis*, alia dependet à *rebus tantum distendentibus*, quam veteres *κατ' ἐξοχλῶ* vocavêre flatulentam; alia ab *erodentibus*, quam respectu materiæ, tanquam causæ efficientis, *humorosam*; ab effectu verò, *convulsivam* vocare possumus. Et tandem, à loco *causæ efficientis* distinguimus *Colicam* in *Idiopathicam* ac *Sympatheticam*, quæ ultima, *accidentalis* quoq; vocari potest.

§. 26. Ut tandem Medico innotescat Colica, opus is habet certis *signis diagnosticis*, quæ quidem in patiente adulto non videntur, quoad ipsam passionem, valdè necessaria, si-
qui-

quidem hi faciliè dolorem exquisitum exprimere valent. In tenerioribus autem homuncionibus, vel infantulis, sunt sequentia (1.) *corporis inquieta jactatio*; (2.) *hypochondriorum*, imò nonnunquam totius abdominis tensio; (3.) *ejulatus continuus*; (4.) *frequentes borborygmi*; (5.) *flatus* subinde per inferius guttur prorumpentes; (6.) *alvi adstrictio*; (7.) *excreta viridia viscida*, acidum spirantia, nonnunquam etiam albicantia ac tenacia.

§. 27. *Distinctivis* autem signis, ut causas manifestantibus, maximè opus est Medico, ne fallatur. Nam & ipse Galenus lib. 2. d. loc. affect. cap. 5. fatetur: *Se aliquando dolore colico vexatum, ac nephritico laborare arbitratum fuisse, donec humore per alvum excreto, indeq; sedato dolore, Colicum fuisse animadvertisset.* Sunt itaq; desumpta (1.) *ex antecedentibus*, (2.) *essentialiter adjunctis*, (3.) *juvantibus*, & (4.) *nocentibus*. Hinc Medicus Colicam flatulentam dignoscat, si nimirum certior fit à patiente, ipsum non ita pridem usum fuisse alimentis pinguibus, vel viscidis, v. g. carnibus ovillis, cerevisiâ, non ritè defæcatâ, musto, &c.; Item si dolor sit distensivus, vagus, & tantum non gravativus; si adsint murmura, & nonnunquam etiam flatus; si alvi adsit adstrictio, sive recens, sive diuturnior; si medicamentis per alvum adhibitis, v. g. clysteribus, clysteres repleantur flatibus, materiaq; horum subinde non admittatur, urinæ verò existant albicantes atq; turbidæ &c. Colica *distensiva* à fæcibus *induratis* cognoscetur, si patiens non ita pridem assumerit fructus, v. g. mespilos, pyra exsiccata, vel alias res; Ita Nobilissimus, Amplissimus atq; Spectatissimus DN. D. MAURICIUS HOFFMANNUS, Facultatis Medicæ Altdorffinæ p. t. Decanus, Fautor, Patronus ac Promotor meus omni honoris observantiâ jugiter prosequendus, retulit mihi, se observasse quendam Patricium Augustanum, obstructione alvi, hinc vehementi Colicâ correptum, ab esu

placentarum mellitarum amygdalatarum: Item si ingur-
gitaverit talia, faeces incrassandi, atq; indurandi vim ha-
bentia, (quale quid de osficulis, è pedibus gallinarum coctis,
& copiosè deglutitis: item de caseo, multùm sæpiùs com-
mesto annotavit *Platerius prax. tom. 2. p. 523.*) atq; his alvi sup-
pressio supervenerit, dolor est compressivus, & fixior. A
calculis, si dependet, dolor est contusivus, fixus, ac diu du-
rans. *Colica humorosa acris* cognoscitur ex dispositione pa-
tientis intemperata, v. g. ex signis, scorbutum, vel malum
hypochondriacum denotantibus; ex esu præcedente ali-
mentorum acidorum; potu vinorum austerorum, & ace-
scentium cerevisiarum; ex aëre turbido, frigido hyemali,
& assumtis medicamentis purgantibus. Dolor adest tere-
brans, & lancinans, abdomen retrahitur, Intestina interdum
manibus quasi constringuntur, adhibitis medicamentis anti-
colicis. & alvo aperta, dolor non remittit, urinæ sunt citrinæ
claræ, pellucidæ, &c. *Colica à vitio bilis nimium oleosa* cogno-
scitur ex dolore in lumbis ardente. Si vitium *succi pancrea-
tici* adierit, dolor est conjunctus cum algore atq; frigore.

§. 28. *Symptomata*, v. g. *nephritica* cognoscatur, si si-
mul adest dolor obtusus, ac gravativus, ut patiens circa re-
gionem lumbarem ponderis quasi pressuram percipiat.
Hæc nunquam remittit, sive adhibitis clysteribus; sive me-
dicamentis carminantibus. Dolor interdum obliquè secun-
dum longitudinem ureteris ad vesicam exporrigitur. Quæ
signa si adsunt, absq; aliis, Colicam significantibus, credatur
saltem adesse dolor nephriticus sine colico. *Uterina* digno-
scatur, si menses aut instant, aut adsunt; si facta nuper sit
conceptio; si fœtus incipiat sese movere; si mulier passa sit
aliquando difficilem partum; si solo odore rerum ingrata-
rum exciterur mulieri. *Hæmorrhoidalis* fit, aut instantibus,
aut fluentibus, aut obstructis hæmorrhoidibus, &c.

§. 29. *Prognostica* sunt: Colica *flatulenta* ab esu alimentorum pinguium, & viscidorum facile curatur. A visciditate lymphæ *diuturnior*, facile degenerat in tympanidem. Colica à facibus induratis *recens*, æquè facile remittit; *antiquior* verò facile degenerat in passionem Iliacam. Hinc Colica quæcunq; , alvo apertâ, est facilior. Colica omnis *humorosa* est diuturnioris curationis. Colica ab humoribus scorbuticis, & hypochondriacis minatur recidivam, omnisq; generis morbos convulsivos, v. g. Epilepsiam, Paralyfin, Tetanum, &c. exempla vid. apud *Horstium*. Colica uno alterove die purganti medicamento superveniens, alvo iterum adstrictâ, eventum minatur funestum, vid. *cit. Barth. & Schenk.* Colica *ardens* intimat febrim imminentem. Colica *infantum* omnis est periculosa, ob metum supervenientis Epilepsiæ.

§. 30. Priusquam tandem accessum faciamus ad curationem doloris hujus atrocissimi, notentur hæ *indicationes*: In Colica flatulenta semper in id intendat Medicus, quo flatibus alvo apertâ exitum præparet, viscidam autem materiam, ceu matrem incidat, & evacuet. In Colica humorosâ humores intemperati temperentur, convulsionesq; sedentur. In Colica stercoreâ à facibus induratis, item calculis & vermicibus, res p. n. &c. emolliantur, evacuentur & necentur, doloresq; sistantur.

§. 31. Fiat proinde *curatio* Colicæ *flatulenta*, ut primò flatibus grassantibus exitus aperiatur, id quod fit commodissimè per *enemata*. Præscribantur itaq; ea, quæ emolliunt, incidunt, leviterq; stimulant, v. g. inter *emollientia*, adhibeantur Herb. alth. branc. ursin: Rad. alth. lil. alb: Flor. sambuc. melilot. verbasco: Sem. lin. rapar. nap. &c. Inter *incidentia* Herb. salv. rut. cham. rom. organ. matricar. ment. Fol. laur. Rad. angelic. levistic. imperator. Sem. anis. fænicul. cumin. aneth. levistic. Inter *stimulantia* adhibeantur \ominus ia, v. g. \odot \ddagger iat. \ominus

rut. chamom: Item mel. v.g. rutac. &c. E quibus fieri possunt decocta cum ∇â simpl. vel lacte, vel decoctis pinguibus partium animalium. Si verò tempus exigat, ut citius fiat enema, quam fieri possit decoctum, fumantur ∇æ jam nominatarum herbarum destillatæ. In his, sive decoctis, sive ∇is, solvantur Elect. d. bacc. laur. juniper. it. mel. rut. ol. destilat. v.g. carv. aneth. cumin. anis. fænicul. Ess. harum vegetabil: it. Ess. castor. vel Extr. hujus. ∞₉ Elis ammoniac. anis. &c.

§. 32. Flatibus sic viâ paratâ, dein adhibeantur materiam viscidam, & sic quoq; flatus *incidentia*, doloremq; *sedantia*. Inter hæc verò sunt omnis generis medicamenta dicta *aromatica*, v.g. Fol. vel. Herb. organ. salv. aneth. chamom. roman. ment. levistic. imperator. Sem. carv. anis. fænicul. cumin. aneth. Rad. levistic. Angelic. imperator. Zedoar. galang. Zingib. cass. Lign. cinam. caryophyl. Cort. citr. aurant. &c. Omnis generis ∅ia volatil. temperata, v.g. ∞₉ sal. ammon. vel urin. anisat. ∞. carmin. D. Mich. pronatus ex profapiâ tartareâ & nitrosâ volatili: It. ∞₉ ex herb. modo dictis destillatus, & conjunctus cum ∞tu ∅tri, dictus ∞₉ anticolicus. Nam utut ∞ ∅ sit acidus maximè penetrans; attamen notetur quod virtutem penetrandi insignem nanciscatur à partibus ∅ia. volatil. acidis intimè commistis. His omnibus adjungantur *anodyna* v.g. parata ex opio correcto, ex papav. castor. croc. &c. v.g. laud. opiat. Ess. opii. Theriac. Androm. Ess. castor. Extr. castor. croc. &c. formulæ fiant pro lubitu.

§. 33. Ut autem, cessante paroxysmo, vitiosa viscida evacuetur lymphæ, adhibenda sunt *lenia purgantia* anodynis mista, v.g. Pil. *Clar. Sylv. lib. 1. Prax. p. m. 164.* præscriptæ: it. Pil. ex ammoniac. Quercet. cum tantillo opii commistæ: Pil. opiat. *Mynsicht.* &c.

§. 34. Colica ab excrementis induratis dependens itidem

dem medicamentis emollientibus & in tantum irritantibus curetur. In hâc igitur fiant enemata, ex præscriptis §. 31. quibus usurpatis, exhibeantur anodyna, & si flatus fuerint collecti, misceantur incidentia, sicq; ex præcitis pro lubitu adhibeantur.

§. 35. Colica ortum ducens ab *intemperie humorum*, curetur per *temperantia* & *anodyna*. Hinc in Colica, dependente ab acido nimio fermenti ventriculi, adhibeantur omnis generis *alkalia* v. g. \ominus ia, uti \ominus card. bened. rut. absynth. chamomil. Herb. amaricant. v. g. card. bened. fumar. absynth. centaur. min. &c. sive ex his fiant Decoct. sive Infusa. Omnis generis *preparata*, v. g. C. C. f. Δ . dent. eq. mar. δ diaphor. antihect. Pot. &c. ω sal. ammoniac. carmin. Hisce pro lubitu admisceantur anodyna. Quia verò humoribus talibus τ tis, dolor nihilominus adhuc nonnunquam instat, (quem vocat *Helmont. Furorem Archæi*) externè etiam subinde anodyna applicentur. Hic locum habet Empl. carminat. Sylvii: item fiant Sacculi ex Herb. anodyn. & carminantib. &c.

§. 36. Si Colica ortum ducit ex oleositate bilis, propinentur hoc oleum *temperantia*. Hic primariò prodest ω \textcircled{t} ri, sive simplex, sive cum aliis ω -bus carminativis commistus. Hinc ob \textcircled{t} copiosum, laudatur ab autoribus Decoct. stercorum equi masculi, pariter & ex eo paratus Syrup. *Divi Lutheri* &c. Hanc oleositatem bilis præterea etiam temperant omnis generis *pinguia vegetabilia*, v. g. semina frigida majora, papaveris alb. ex quibus fieri poterunt Emulsiones, ad imitationem sæpiùs citati atq; laudati *Sylvii*.

§. 37. Præcipitatâ & sic materiâ intemperatâ, iterum instituantur *purgationes lenes*, ne recidivam faciat. Adhibeantur itaq; purgantia lenia cum opiatis commista, sive opiata ipsis purgantibus immisceantur; sive cum digestivis præmittantur, id quod ultimum videtur commodius. §. 38.

§. 38. Sola jam restat *Diata*, ut hinc quoque addatur, quæ scilicet observanda ad præcavendos Paroxyismos Colicos. Patientes itaq; ad Colicam flatulentam dispositi, fugiant carnes pingues frigidiores pariter & potum frigidiorum. Nam vix frequentior ulla videtur esse Colica, quam quæ succedit escui carnis vitulinæ pinguioris, ac haustui cerevisiæ frigidioris. Quare eligant magis esculenta benè salita & modicè aromatisata. Potus in omni Colica esto ritè defæcatus, & fermentatus. Hinc caveant sibi à cerevisiâ triticeâ circa dies calidiores coctâ, quippe quæ nunquam non est viscida, mustum quoque ac vina recentia, pariter & vappescentia angue pejus vitent. Aërem eligant patientes, quantum fieri potest, benè temperatum, maximoperè verò fugiant aërem pluviosum, hyemalem ac vernalem. Extra paroxyismum corpus moveatur, & suo tempore quiescat. Quod si in alterutro cogatur peccare, peccet magis in motu, quàm quiete. Nam omnis quies facit ad humorum incrassationem, atq; visciditatem colligendam. In paroxyismo verò corpus, à quâcunq; Colicâ afflictum quiescat, & si possibile sit, in Colicis paroxyismis componatur ad somnum. Quoad excreta & retenta, ex præmissis satis apparet, quomodo corpus sit tractandum. Fugiat quoque omnis passioni Colicæ obnoxius excandescentiam, ac alia animi pathemata, imprimis illa, quos invadere consueverunt dolores Colici convulsivi.

Et hæc sunt meæ de Colica, causisq; illam efficientibus, atq; medicamentis ipsam curantibus, cogitatiuncula qualescunq; quas in Thesibus hisce publicæ Eruditorum censuræ, pro ingenii mei captu exponere volui. Quæ omnia ut æqui boniq; consulat L. B. etiam atq; etiam rogo. DEO interim Ter Opt. Terq; Max. cujus benignitati, atq; clementiæ me meaq; studia medica ulterius commendo, sint pro hac, in hoc opere perficiendo, assistentiâ largissimâ atq; gratiâ, grates quoq; largissime in sempiterna secula.